

Baron von Dönhoff zu Lübeck. Nach der Reformation

RECVRRENTEM

1794 21

373

DIE. XXIX. JAN. CIOIICCCXCIV.

**AVGVSTISSIMI. REGIS
CHRISTIANI. VII**

NATALEM

SOLEMNI. ORATIONE. CELEBRANDVM

INDICVNT

PRORECTOR. ET. SENATVS

ACADEMIAE. KILONIENSIS

INTERPRETE

A. G. CRAMER

ANTECESSORE

Insunt: ad Historiam Nouellarum Iustiniani Imp. Analecta literaria.

KILONII

LITERIS. MICH. FRIDER. BARTSCHII. ACAD. TYPOGR.

*Dr. Hoffmab. J. G. Dönhoff Jagdwijf
J. W. Pellen*

RECHNUNGEN
DIE LXIX. JAHR CCCCCCCLII
AGASTISMI REGIS
CHRISTIANI VII
MAYN
SOLVUM ORATIONE CHRISTIANAE
IMPLICANT
PROFESSOR ET SENATOR
ACADEMIE MONENSI
INITIALES
A. G. GRAMER
ACADEMICO
KRONI
LXXXVII. MDCCLXII. FESTIVITATIBUS



Qui ante paucos menses, non sine insigni reipublicae literariae, familiae et amicorum damno diem supremum obiit, legitimus Academiae nostrae Orator G V I L E R N C H R I S T I A N T, Vir, cuius doctrinam, ingenium, mores, uel post mortem suspiciunt, qui literas, prudentiam, sinceritatem, animi leporem aestimare norunt; hic talis uir, quotiescumque indicenda ipse erant solemnia academica, solebat fere prolusionis materiam, doctam quidem & utilem sibi sumere, sed ab ornato sterilem atque iniucundam. Quod, quanquam subinde a non neniine reprehensum memini, tamen ego prudenter ab ipso factum semper existimavi. Demus enim esse, qui disquisitiones de anno singularis cuiusdam rei gestae, de officiis minutulis, deque libris rarioribus, aut uno atque altero ueterum scriptorum loco deprauato, spernant & ad classem de tribus capillis litium amandent: plerique tamen has res utilitate sua neutiquam destitui merito putabunt.. Sed cum, exoleto fere illo sedentariam plane uitam agendi more, quem majores tenuerunt, saeculi nostri ingenium uix pati uideatur, ut huiusmodi quaestiones iustis uoluminibus pertractentur, difficile emtorem ac lectorem habituris, exquiri autem

autem studiose, interdum adeo sumtuose, ab harum rerum amantibus, si breui pagina continentur, experientia doceat: quid, obsecro, magis conuenit, quam absolu ei statius his dissertationibus, in quibus typis mandandis non emendicata bibliopolarum opus est gratia, quarumque iam per se ea facta est conditio, ut a paucis legantur, & ab his fere tantum, quibus quodammodo uirtute officii in legendis atque euoluendis non suauibus scriptiunculis, sed grauibus & elegantia destitutis libris pleraque aetas consumitur. Quare, cum post obitum Viri federatissimi, prouincia proludendi supplicationibus, in diem natalem regium constitutis, praeter spem atque opinionem ad me interim delata esset: quod ille fecutus est olim consilium, id mihi quoque sequendum esse duxi. Circumspicient uero materiam scribendi commodam, iam longo inde tempore praemeditata, nondum tamen excussa, de numero atque ordine Nouellarum Constitutionum Imp. Iustiniani sese obtulit, vel ideo opportuna, quod hoc modo recitationes in Historiam iuris Romani subleuatum iri sperem. Eniuero istarum Nouellarum, quemadmodum uulgo audire solent, historia, quot quantisque circumsepta impedimentis, quamque parum adhuc uel post eruditissimorum hominum gnauiter nauatam operam elaborata & exulta sit, neminem fugere potest, qui uicissitudines Iurisprudentiae Romanae apud animum perpenderit, aut, quae docte & fuse nuper in hanc rem commentatus est Vir Cel. ZEPERNICK,¹⁾ attentus legerit. Subsilit tamen is praecipue in difficultatibus, quibus rationes & cauiae politicae singularum constitutionum premuntur; de nubeculis, quibus historia literaria totius corporis Nouellarum circumfunditur, parum aut nihil in medium proposuit. Neque tamen haec pars negligi mereatur.

1) Car. Frid. ZEPERNICK Delectus rumque historiam illustrantium. Hal. 1783.
Scriptorum Nouellarum Iustiniani Imp. ca. 8. Praef.

meretur, quoniā, nisi decisis anteā, quae circa numerum nouellarum in diuersis libris editis existunt, dissensionibus, remotisque quaestionebus unde quaque originem traxerit, de illarum ipsarum natura atque vi, sanum iudicium ferri non posse uideatur. Itaque cum decantatissima sit cantilena ista: *Quid. quid glossa non agnoscit, nec agnoscit curia,* crederes profecto satis constare inter omnes, quae Constitutiones commentariis Interpretum antiquorum, quos Glossatores uulgo appellamus, illustratae quondam fuerint. Atqui tamen, si paucos hac notitia instructos esse contenderim, fallus neutiquam ero, cum uel ii ipsi, qui opera data constitutiones, quas *glossatas*, barbara sed breuitati accommoda uoce appellant, suis libris consignarunt, in iis enumerandis lapsi sint, plerique etiam JCtorum Corporis iuris glos-satam editionem neque ipsi possideant neque adeo oculis unquam usurpauerint. Erit igitur, nisi omnia me fallunt, haud utilis opera, si tandem aliquando hae plus quam saeculares nebulae e historia iuris depellantur. Atque, ne extra oleas vagetur haec disputatio, primum *de glossatarum Nouellarum numero atque ordine* dicam, deinde *de earum editione Haloandrina.* Nam quae de *Scriungeriana & Gothofrediana*, de *Hombergiana* item uersione meditatus sum, ea, exclusus temporis angustia, alii loco resuare cogor.

Sed de numero atque ordine, quo se inuicem excipiunt in editis glossatis Corporibus iuris Constitutiones nouellae Iustiniani, priusquam sermonem instituam, admonendus est lector, me omnem calculum ad editionem Gothofredi, quae unice fere in usu hominum uersatur, subducere. Deinde, quanquam nullus dubitem affirmare, editiones glossatas, quae ante annum supra millesimum quingentesimum sexagesimum lucem adsperserunt, quarum oppido magna pars olim a me inspecta fuit, neque

neque numero, neque ordine a se inuicem distare: quo tamen maior sit rei fides, indicandum est, quibus iam nunc potissimum usus sim. Sunt autem hae, & raro occurrentes & praestantia paucis cedentes: a) Volumen Bernardini de Tridino de Monteferrato: nouiter cum summa ac diligentri correctio impressum. Excusum est a. MCDXCIV. forma majore. ²⁾ b) Authentica D. Justiniani Imp. Aug. Nouellarum volumen eruditis animadversionibus; adscriptionibusque pretextū: a falsis, ad ueras allegationes reductum. (hoc intellige de glossis) non pretermissa letctionum legi dignarum uarietate. &c. Lugduni, ad Salamandras, Apud Sennetonios Fratres. M. D. L. Fol. c) Volumen. Complectitur hoc Volumen Nouellas Constitutiones — Tres item posteriores libros Codicis: Feudorum — duos: Constitutiones Friderici II. Extrauagantes — & Tractatum de Pace Constantiae. Omnia ad uestrissimorum simul & emendatisimorum exemplarum fidem recognita, emendata. — Lugduni, Apud Hugonem a Porta, & Antonium Vincentium. M.D. LI. forma quadrata. ³⁾ Praeterea commodum accedit, ut singulari amicitia & beneficio Viri undeque doctissimi MOLDENHAVERI, praefecti inter alia splendidissimae & instructissimae bibliothecae regiae, quae Hafniae est, praesto mihi esset MS. liber, rarissimo exemplo, omnes uniuersi corporis iuris partes

2) Ita enim in calce trium posteriorum Codicis librorum, qui, ut fieri tunc solebat, Nouellas excipiunt, subscriptio se habet: Exactum hoc insigne atque preclarum opus voluminis summoque studio ac cura emendatum: Venetiis impressum per Bernardinum de Tridino de monteferrato. Anno salutis. M. CCCCLXXXIX. die. XVIII. Iulii. Huius editionis nusquam ego mentionem factam memini, ne apud hos quidem, qui data opera de libris, sub initium artis typographicae natis, exposue-

runt. Quae post libros Codicis sequuntur in isto Volumine Institutiones recenset EBBAVER in Ordin. Institut. Praefas. p. XXXI. & DENIS Suppl. ad Mait. T. I. p. 371. uterque in subscriptione diuersi; de qua re iudicium ferre ipse ideo impediatur, quia in exemplari, quod prae oculos est, ultimae plagulae excisa sunt.

3) Cf. BRENCMANNI Histor. Pandect. L. III. cap. IV. p. 269. & cap. V. p. 292.

7

tes complectens, literis elegantissimis & sine glossis exaratus. De quo libro, major enim alibi de eo dicendi copia erit, hic tantum moneo, quanquam in numero a supra relatis editionibus parumper abeat, eum tamen ubique eundem ordinem seruare, quod & in aliis codicibus, quos olim inspexi, me obseruare memini. Gothofredi glossatam editionem, et si in loculis esset, huic usui adhibere ideo veritus sum, quod neque numero, neque ordine glossatas reliquas sequitur, sed, demto commentariorum apparatu, eiusdem tenoris est, cuius ceterae huius auctoris.

Jam uero ut ad rem ueniam, si, qui numerum glossatarum nouellarum inierunt, quorum nomina ubique obuia, lubens praetereo, sententiam rogas, ad unum omnes *nonaginta octo* reperiri clamitant; quodsi uero ipsa uetus exemplaria inspicis, non nisi *nonaginta septem* deprehendes. Cuius quidem discriminis atque erroris haec uidetur esse cauſa, quod, cum animaduerterent in Edit. glossatis numeros, per totum currentes opus, haud praeſigi nouellis, sed eas tantum titulorum in unaquaque Collatione numeris discerni, non ipsas constitutiones numerarint, sed titulos inuicem se excipientes. Hinc, cum Nouella *octaua* Collationis secundae in antiquis libris duos constituant titulos, *secundum* nempe & *tertium*, adeoque totum Nouellarum opus *nonaginta octo* absoluatur titulis, improuide totidem inde effecerunt Constitutiones. Quemadmodum uero fieri solet, ut error errorem trahat, ita & hic factum conspicimus. Nam qui ad editiones communes singulas enumerarunt Nouellas glossatas, *Pagenstecherus*, *Menkenius*, *Glückius* aliique, tum non nullas glossatas inter non-glossatas retulerunt, tum quoque quasdam non-glossatas inter glossatas. Atque ut de *PAGENSTE-*

CHE-

CHERO prius dicam, is⁴⁾ tanquam glossatam profert Nou. XXXII. quae tamen, cum a uetusis exemplaribus exulet minime in hunc censum uenire potest. Quae uero excusationis causa subjungit, ea rem non tam expedire quam impedire uidentur. Ait: *Aduic collatione 8. tit. 6. in eodem corpore additur constitutio brevis, sed in glossa est: hanc legem quidam non habent & non legitur.* Hinc ejus loco addidi Nouellam 32. quae eadem est cum Nouella 34. Ita manet numerus Nouellarum glossatarum 98. Quae uerba quid sibi uelint, uix capio. Evidem uerum esse concedo, praedictam glossam inueniri ad Collat. VIII. Tit. 6. edit. gloss. h. e. ad Nou. CX. edit. Gothofredi, & inde colligi posse, eam non in omnibus extitisse Codd. quemadmodum nec in supra laudato Codice Hafniensi extat; sed quis alius nisi Pagenstecherius hinc ratiocinabitur: *Quia Nou. 110 dubiae fidei est, quo praeconceptum glossatarum novellarum numerum conficiam et hanc, et aliam praeterea, quam glossatam nunquam fuisse satis scio, (ea enim est Nou. XXXII.) cum uere glossatis in censum redigam.* Neque enim recte se habent, quae addit: ejus (Nou. puta CX.) loco addidisse se supra Nouellam illam XXXII. cum aperte utramque in catalogum suum retulerit. Enim uero si hoc non est pueriliter peccare, quid, fodes, aliud est? Nec tamen multo melior MENCKENIVS⁵⁾, qui, postquam indicem Pagenstecherianum exhibuit, mox subdit: *a quo licet in hoc unico recedere, quod ipse Nou. CVI. Glossatis accensuit, cum tamen illam Glossata, quae inspexi, Corpora non commemorarent, ACCVRSIUS uero post Nou. CX. satis incongrue recenseat, id quod inde profectum reor, quoniam Nov. CX. ejusdem dispositionem, tanquam posterior, abrogat.* Quae uerba,

4) A. A. PAGENSTECHER Sicilim.
ad Compend. juris Lauterbach. Manip. IV.
p. 17.

5) God. Lud. MENCKEN D. de No-
uell. glossat. & non glossat. auctoritate iur.
Lipf. 1707. §. VI. & ap. ZEPERNICK.
l. c. p. 319.

uerba, si quis cimmeria nocte obscuriora dicat, ego inficiās non ibo, plane enim me comminisci non posse profiteor, quae tandem illa sint Corpora glossata, in quibus Nou. C VI. non commemoretur. Si tamen, quae de hoc loco mea sit conjectura dicendum est, putem Menckenium numeris lapsum esse & hoc dicere vouluisse: *illam a Pagenstechero iam notatam Nou. CX. a se non referri inter glossatas.* Cuius commenti quae sit ratio paullo ante expositum est, quanquam ea multum infringatur ab ipso Menckenio, dum: *Constitutionem istam satis incongrue, ait, ab Accursio recenseri.* Quidni enim? inter glossatas non est referenda, quae ab Accursio agnita est, atque in quam *is*, licet breuissime, commentatus est? Hic ipse Accursius, cuius in primis industria Glossa talis constituit, qualem nunc habemus? — Quae in reliquis reprehendi, ea nolle mihi repetenda essent, in uiro industria & doctrina juris paucis hodie comparando. Est tamen GL VCK II recensus⁶⁾, nescio unde depromptus, ceteris adhuc uitiosior, cum non solum Nou. Centesimam sextam e glossatis praeter meritum eiiciat, uerum etiam, praeter tricesimam tertiam, glossatis undecimam accenseat. Sed ne diutius lectorum patientia abutar, enumerandae tandem uenient quotquot in editis Corporibus juris glossatis deprehenduntur Constitutiones. Sunt autem haec: Nou. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 22. 23. 33. 34. 39. 44. 46. 47. 48. 49. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 60. 61. 63. 66. 67. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 123. 124. 125. 127. 128. 131. 132. 134. 143. 159. Ita si uulgi opinionem sequareis. Sed, si quae sentio dicenda sunt, neque illas absconde glossatas nominandas existimauerim, neque eas omnes, quae

⁶⁾ Glück's Erläuterung der Pandecten nach Hellfeld, Th. I. §. 54. S. 334.

ad Jurisconsultorum medii aeui notitiam peruererunt, ita enim multo amplior euaderet numerus, sed istas tantum, quas ad Corpus Authenticarum Collationum olim relatas fuisse constat. Quodsi uero ad hanc normam exigas supra enumeratas Constitutiones, uix erit ut omnes glossatarum in censu habeas. Nam primum quidem eiicenda erit Nou. CX. non tamen ex sola ista ratione, quam Pagenstecherus & Menckenius protulerunt, sed quoque partim, quod praeter pauca supra allata uerba, nihil ad eam annotatum legimus, id quod, si glossatorum morem tenes, plane insolens uideri debet; partim quod, si talis esset, probabilius in omnibus legeretur Codd. qui post ea tempora conscripti sunt, ab Hafniensi autem regio, qui istud aeuum excedere non uidetur, exulet; denique, quod, qui ad singulas Nouellas commentatus est, Bartolus, eam sicco plane pede praeterit, neque is, neque aliis Glossator in animaduersionibus ad Nou. CVI. quicquam monuit, quo certior reddatur lector, eam abrogari per Nou. CX. Illud uero neutiquam fluctus, ut ajunt, in simpulo mouere debet, quod saltem aliqua, licet perbreuis, Nou. CX. adscripta uisitum glossa, cum satis expeditum sit, multa post Accursum glossae adjecta fuisse. Minimum porro inde concludas idem de Nou. CVI. dici posse, cum in Sennetoniana editione aequa pauca eidem adscripta cernantur uerba, in glossata uero Gothofredi nulla adeo; id enim dubio procul incuria factum est, cum plenior extet in Hugonis a Porta, & magis adhuc in illa Bernardini de Tridino. Adde quod ad hanc Nou. Bartoli ⁷⁾ Commentaria leguntur, & in MS. eodem quo in editis ordine. Praeter autem istam Nou. CX. ex iisdem fere rationibus expungenda uidetur Nou. LXIII. quippe quae itidem a MS. abest, nullamque habet glossam, nisi unam Bartoli summulum,

desum-

⁷⁾ Vid. BARTOLI in Institutiones & Authenticas Commentaria, studio & opera Fac. Concenatii. Basil. M D. LXII. Fol.

II

desuntam recentiori demum tempore ex pleniore eius Commentario. Atqui Bartolum quis inter Glossatores numerabit, nisi laxiori sensu utatur? Imo uero ipsa Bartoli Commentaria dictorum fidem augent. Neque enim, quod alias solempne ipsi est, hic glossae ullam facit mentionem, sed sola nititur Jacobi de Bellouisu auctoritate, qui, Bartolo συγχρόνος, in Nouellas non solum commentatus est, sed etiam, uti ex Contio deinceps ostendam, lecturae suae adjecit extrauagantes quasdam Nouellas, in quibus forte haec quoque fuit. His ita constitutis, si glossatarum Nouellarum numerum ad supra scriptam definitionem exigimus, probabiliter non nisi *nonaginta quinque* Constitutiones habebimus. — In gratiam eorum, quibus accusator historiae iuris cognitio curae est, adiicio, esse in his Nouellis quasdam quae, cum Authenticae essent extraordinariae lectionis⁸⁾, non uidentur a Doctoribus in publicis recitationibus expositae fuisse, quamuis ab iisdem ad subleuanda priuata studia, commentariis exornarentur. Huius generis est Nou. LXXX. ubi glossator; *Hanc non lego, sed quidam sic notant,* & sequuntur dein glossae. Expressius de se ACCVR SIVS⁹⁾: *Hunc tit. non lego, sed quaedam in eo nota.* & alibi idem¹⁰⁾: *literam non lego, nisi ut notem.*

Haec de numero glossatarum Nouellarum. Sed remouenda adhuc restat opinio, quae quo est antiquior, eo plures etiam doctorum hominum libros inquinauit. Plerique enim sibi persuadent, non nisi has siue XCVIII. siue XCV. Constitutiones cognitas medii aevi Jurisperitis, nec alias ab antiquo interprete, quisquis demum ille sit, nisi, quod proprius uero est, plures fuerint, in latinum sermonem translatas fuisse, hancque adeo causam esse, ut nec aliae hodie in usu fori uersentur, cum, quae

praeter

8) PANZIROLVS I, c. Lib. II, cap. IV.

9) ad Nov. LXXXV.

10) ad Nov. CLIX.

praeter istas apud Gothofredum leguntur, ignotae Veteribus, ab Haloandro demum, Scrimgero, Contio, detectae, in latinam linguam conuersae fuerint. Atqui capitalis hic est error. Nam & aliarum constitutionum mentio ab Jurisconsultis istorum saeculorum sit, & aliquae adeo in MSS. libris passim apparent Latio donatae, quarum nunc in editis glossatis atque in Codicibus recentioribus nulla nec uola nec uestigium appetet. Memorabilia hanc in rem sunt *Ant. CONTII*¹¹⁾ uerba, quae ideo adscribo: Erant, ait, inter has leges permultae constitutiones id uas et locales, quarum nullus fere usus uisus est, — quae quia ab interpretibus in scholis non legebantur, desierunt paulatim describi, ut aliquae omnino perierint: A diligentioribus tamen librariis ad calcem libri describebantur, quemadmodum ex meis aliquot exemplaribus deprehendi, a quibusdam etiam ad antiquitatis memoriam afferuabantur. Nam Iacobus de Bellouis, qui commentarios ad Nouellas scripsit, testatur, se eas omnes extravagantes nouellas, sic enim appellant, ad finem lecturae suae adscribi jussisse, saepeque idcirco perquisiti lecturam ipsiusmodi manuscriptam, ut, uerumne sit, quod scripsit, experirer. nam impressis eius commentariis desunt. Ut uero scias, quaenam sint haec Constitutiones, praeter illas in Authenticis Collationibus, notae veteribus, passim etiam hodie extantes in vulgatis Editionibus, quamque suo ordine enumerabo. Sunt autem haec:

a) *Nou. XI.* Ea apud Haloandrum & Scrimgerum desideratur, a Juliano uero in compendium missa est. Qualis uero nunc plerumque habetur, integræ Constitutionis uersio antiqua est, edita primum a *CVIACIO*, cuius rei ipse testis est.¹²⁾ *Contius* deinde eam in suam recepit editionem, quem deinceps fecuti sunt, qui Corpus juris typis mandarunt; negligenter

11) in *Praef. ad Nou.*

12) in *Exposit. Nou. II.* ubi ait: In *nouellarum Juliani*,

tegram latine edi curauimus ad finem

gentiores in eo plerumque quod fontem sileant. Sed talia desidiae specimina quotidie, in Gothofredo in primis, obseruare licet, qui rarissime ex quibus sua hausit, indicat. Caeterum *Contius* hanc Nouellam latine emissam existimat, quod ipsi ego, propter contextus rationem, minime concesserim.

- b) *Nou. XIII.* Hanc quoque primus eruit *CVIACIVS*,¹³⁾ primus, ut reliquas fere, inseruit *Contius* Corpori iuris. Eandem in antiquis libris se uidisse testatur *Ant. AVGUSTINUS*¹⁴⁾
- c) *Nou. XXI.* Eandem in veteribus libris Authenticorum barbare conuersam reperiri, testis est idem *A. Augustinus*, addens, constare eam *Bartolum* habuisse. Bartoli locum frustra quaesui. *CVIACIVS*¹⁵⁾ primus eam edit, *Contius* primus inserit.
- d) *Nou. XXIX.* Abest quidem hodie ab editis. Sed si uera sunt, quae hic memorat *A. Augustinus*, extitisse olim debet in MSS. latinis, cum laudetur ab *Alberico ROSATIO*¹⁶⁾, saeculi decimi quarti Jurisconsulto celeberrimo, qui, quod multa ex obscura uetustate in lucem protulerit, suo tempore fidelis antiquitatis obseruator est appellatus¹⁷⁾.

e) *Nou.*

- 13) In *Exposit.* *Nou. 166.* Memoria-
tu digna sunt uerba ejus. Post enim
mentionem factam Juliani, Veteris
Interpretis, Haloandri & Scrimgeri,
pergit: *His quatuorviris utatur oportet,*
qui voleret sibi parare omnes (Nouellas),
vel earum epironem, simul ac quererere eum
diligenter veteris interpretis, quas sup-
prestis hominum incuria vel insidia. Pu-
tem enim reperiri posse omnes, ut mili-
contigis reperiisse Nov. de prima Justis-
niana, de praetoribus plebis, de Ar-
meniis, & Accurso ipse etiam contigerat
- 38 & 45, quas adducit nescio quo loco;
& bac ratione persuadebitur forsitan impe-
ritis, indocilibus, incredulis, non minus
omnes esse authenticas 168. scilicet quam
pauculue finz illae, quas solas esse e cor-
pore juris falso testificantur & adseuerant,
quasque solas ius facere volunt.
- 14) in *Paratitl.* seu *Schol.* ad *Nouell.*
adj. *Verfioni Hombergk.*
- 15) ad dict. *Nou. 166.*
- 16) in *Dictionario* voce *Aquilegia.*
- 17) teste *TANZIROLO* l. c. *Lib. II.*
cap. 66.

- e) *Nou. XXXV. XXXVI. XXXVII.* Extant integræ apud **PITHOEVM** in editione Juliani, unde eas in versionem suam recepit *Hombergius*. Idem facere oportuerat *Gothofredum*; & facere poterat, cum sua aetate jam publice extarent, nisi is omnino in paranda editione sua ad stuporem negligens fuisset, in eo scilicet nimium felix, quod tot inuenerit sequaces, qui in edendo Corpore juris inuita Minerua studia sua in publicum propulerunt.
- f) *Nou. XXXVIII.* Inseruit *Contius* e MS. Eam fuisse penes veteres Interpretes *Azonum*, *Accursum* & *Alber.* de *Rosate* dicit Augustinus. Sed de *Alberico* rem aliter se habere, notat *CONTIVS*¹⁸⁾. Ego neque *Accurshi*, neque *Azonis* locum inuestigare potui.
- g) *Nou. XL.* Hodie non extat, sed nota fuit *Alber. Rosatenſi*¹⁹⁾.
- h) *Nou. XLII.* Dubitabat *C. F. HOMMEL*²⁰⁾ quisnam primus intercalasset. Fecisse id *Contium* facile edoceri poterat ex hac eius nota: *Versa quidem est ab Halando*, sed veterem eius translationem ex tomo Concilii quinti Constantinopolitani restituimus, et mendis quibus scatebat etiam in nouissima editione *Colonienſi* anni 1507 perpurgauimus. — Quae *Contius* hic de nouissima perhibet editione Concilii quinti oecumenici, ea de prima intelligenda sunt. Primus enim, si **BALV-**
ZIO²¹⁾ fidimus, haec acta euulgauit *Surius* a. M. D. LXVII. Quicquid sit, ut plenior esset huius *Nouellæ* notitia, perquisiu*Io. Dom. MANSI* Sacrorum Conciliorum nouam & amplissimam Collectionem²²⁾ sed vano hucusque successu,

ACCVR-

18) ad *Nou. 101.*19) *I. c. s. noce: Ecclesia Sanctæ anni 1761.*
Resurrectionis. Testes sunt *Contius* & *Augustinus b. l.*

20) in litteratura jur. p. 299. edit.

annī 1761.

21) in *Praef. ad Acta Concilii V. s. XV.*22) ubi *T. IX.* a p. 171. inde, usque ad p. 702. extant *Acta* huius Concilii.

ACCVRSTO non ignota fuit Constitutio haec, quippe qui eam ad *Auth.* Sed nouo jure *Cod. de seru.* fugit. his uerbis laudat: *Tertius est in Nouellis de quibusdam haereticis caet.* quae uerba, cum apud *Azonem,* ex quo tamen reliqua hujus glossae ad uerbum paene exscripta sunt, deficiant, dubitari potest, an nota ipsi fuerit.

i) *Nou. XLV.* Huius rursus fit mentio ab **ACCVRSTO** ad *L. pen.* *Cod. de haeret.* ubi ad uerba: *contra Orthodoxos,* in fine ita: *Item an orthodoxos contra haereticos potest testificari?* *Respond.* *sic: ut in nouellis.* & plenius ad uerbum *Angustetur:* *Item signant hic quidam talem Auth.* Sed hodie nulli Iudeo permittitur ferre testimonium contra Orthodoxum, nisi in curiali conditione, *ut in auth. de haeret. uel in auth. ut haereticici curiales §.* illud, uel in auth. de testi. haereticorum. Sed certe non inueniatur haec auth. inter auth. sed dicunt quidam reperi in nouellis. Et quamquam Accursii nomen huic glossae in editis libris non est adscriptum, hunc tamen auctorem esse, cognoui ex vetustissimo libro, anno, ut ex subscriptione patet, MCCLXII scripto, nouem libros Codicis continente, multisque optimae notae lectionibus referto. Hic liber eodem quo superior beneficio, nunc penes me est, verum bibliothecae Regiae *κερμάτων.* Caeterum Accursii uerba confirmat AZO²³⁾. *Orthodoxo,* inquit, licet testificari contra haereticum: *ut dicunt in Nouellis haberi, et est in Decretis.* Pergit dein: *Habent hic quidam Auth.* Sed Curiales, sed falsum est, nec reperitur in corpore Auth. et ideo rescindendum. Accursii locum iam notauerat Augustinus.

k) *Nou.*

23) in: *ad Singulas Leges XII. libror.* edito ex biblioth. Ant. Contii, (Lugduni) MDXCVI. 4. ad *L. pen. Cod. d. c.* Commentario & magno Apparatu,

k) *Nou. LIX.* Detecta est a Contio. Eius mentionem fieri ab ALBERICO²⁴⁾, auctor est *Augustinus*.

l) *Nou. LXII.* Plenior, quam in reliquis editis, huius Nouellae extat Epitome apud Charondam in fine procurati a se Corporis juris. Animaduertit praeterea *Augustinus* hanc Constitutionem excitari ab ACCVRSTO²⁵⁾. Uerba Glossatoris haec sunt: *Sed illustribus uiris permittebatur patricatus codicillo accipere, quamuis huiusmodi dignitatibus non fuerint primo decorati, ut in nouell. de ord. sc. i. e. de ordine senarum, ut recte Augustinus, non de ordine sedendi ut quidam suspicabantur. Confirmat AZO²⁶⁾, ex quo, ut solet facere in Codice, sua mutuatus est Accursius. Paullo aliter tamen ultima uerba apud illum, sic: *ut nouell. contra ta. de ord. senat.** Ubi, quid sibi velint ista: *contra ta. facto me nescire, nisi forte fuerint initialia Constitutionis uerba, quam satis probabile est latine conscriptam fuisse. Sed alia hic se exserit dubitatio, an non potius Interpretes hi in mente habuerint Juliani epitomen, quam integrum Nouellam, cum uel inter dupondios notum sit, in Glossis Nouellarum nomine Julianum, barbarem versionem Authenticas Nouellarum appellatione inuenisse.* Atque ita hunc quoque locum CIVACIVS²⁸⁾ capere videtur. Evidem ego nihil hic definio. Moneo tamen, quae ita generaliter efferuntur, non ubique uera me deprehendisse, sed quandoque & Authenticas Nouellarum appellatione inuenisse. Atque ut uno testimonio sat valido defungar, in locis glossae, quos supra laudaui, Constitutio XLII. aperte Nouella vocatur, et si ea

a Ju-

²⁴⁾ sub uoce: *exequiae*.

²⁵⁾ in L. 3. Cod. de Consul. ad uerbum: *Dignitatem*.

²⁶⁾ d. l. ad L. 3. Cod. d. r.

²⁷⁾ ALCIAT. Parerg. Lib. II. cap.

⁴⁶⁾ CONTIVS Praef. ad Nou. BACU Hist. jur. p. 609.

²⁸⁾ Commentario ad libros III. poster. Cod. b. r.

a Juliano in compendium nunquam redacta fuerit. Quod caeterum ad glossam L. 3. Cod. de Consul. attinet, ea a me ita producta est, quemadmodum in antiquis exemplaribus exhibetur. Caeue enim Baudozae fidem adhibeas, qui eam ita profert: *ut in auth. de ordi. se. Coll. s. nou. 62.* Nempe qui glossarum auctoritate uti cupit, & est profecto illarum multiplex fructus, abstinere debet a Corporibus juris, quae post Contii tempora edita sunt, qualia sunt illa Baudozae, Gothofredi & aliorum, imo si potis est, scriptis potius quam excusis libris, his certe non nisi antiquissimis uti, quando haud semel experientia edocitus fuerim, quantum sibi indulserint Editores, quamque varie mutilando & interpolando genuinam scripturam corruperint.

- m) *Nou. LXV.* Integra haec extat apud *Pitbocum*, & ex eo apud *Hombergium*.
- n) *Nou. LXXXVII.* In editione Charondae, Pacii, Gothofredi & Baudozae ex interpretatione *Contii* esse dicitur. Id ue-
rum sit, nec ne, non definio. Certe eorum auctoritas apud toties deceptum non admodum magna est, maior *CONTII*, ex cuius ad hanc Constitutionem nota, colligas e MS. haustam esse. Ita enim ille: *In libro unde descripsi, inscribitur: De donationibus a curialibus factis, sive ab intestato uel testamento eorum successoribus. et sic etiam inscribi ait Cyprianus uetus glossographus, qui ex hac nouella decerpit tres Authenticas, quas Titulo C. quando et quib. quarta pars, addit.* Quis ille sit *Cyprianus glossographus* adhucdum non percep-
pi; in scriptoribus enim, qui glossatorum vitas posteritati commendarunt, huius Jurisconsulti memoria non celebra-
tur. Sitne is, quem *Kilianum* vocat, & cum Azone Ro-
fredi in jure praeceptorem perhibet *Valent.* FORSTER²⁹⁾,

29) in *Histor. Jur. Lib. III. cap. 9.*

Lectores iudicent. Hoc unum claret, istis temporibus
hanc Nouellam non penitus incognitam fuisse.

o) *Nou. CI.* Ex antiquis hanc laudauit *Albericus*, uoce floruit.
Primus ueterem uersionem e MS. produxit & inseruit *Contius*. Caeu idem credas de Constitutionibus, quae sequuntur *CII.* & *CIII.* Evidem scio excitari apud *Hombergk*. ueterem hic interpretem, sed praeter meritum, cum, quae habet uerba, ea sint ex *Haloandri* uersione petita.

p) *Nou. CXIX.* Primus hanc, omissam ab *Haloandro*, *Contius* produxit.

q) *Nou. CXXX.* Iterum *Contii* beneficio hic uetus interpres nunc legitur.

r) *Nou. CXXXIII.* Fluxit itidem e *Contii* libris, quorum utinam ille pleniorum alicubi notitiam dedisset; nunc suspicari tantum licet esse hanc & alias ex *Jacobi de Belloui* *Exibitoria* trauagantibus.

s - u) *Nou. CXLV*, *CXLVI*, *CXLVIII*. Omnes tres e uersione antiqua debentur *Contii* industriae.

Ex hoc recensu satis luculenter patet, quamuis ad Collationes Authenticas a Glossatoribus Nouellae non nisi *XCVII*, aut *XCV*. relatae fuerint, tamen eos plures, minimum *CXVII*. cognitas & latino sermone expressas habuisse, adeoque si uerum fateri uelimus, plerasque omnes Justinianas, quae integrae ad nos peruererunt. Justiniani, inquam. Quis enim nescit, esse in illis *CLXVIII.* Constitutionibus, quae hodie vulgo circumferuntur nonnullas, quae Justinianum minime auctorem habeant. Nimirum quaedam *Iustini Iunioris* sunt, uidelicet *Nou. CXL.* & *Nou. CXLIV*, quaedam *Tiberii*, nempe *Nou. CLXI.* *CLXIII.* & *CLXIV*. Evidem scio a *BRVNQVELLIO*³⁰⁾, *BACCHIO*³¹⁾ aliisque, ad *Justini*

³⁰⁾ in *Hist. jur. P. II. c. XI. §. VII.* ³¹⁾ in *Hist. Jrspr. Rom. L. IV. c. I. S. II. §. XX.*

Justinum Imp. quoque referri *Nou. CXVII. & CXLIX.* Recte, an injuria, in propatulo est. Nam quod ad Constitutionem priorem attinet, ea ex inscriptione apud Haloandrum Justiniano vindicanda est, praesertim cum ejusdem apud Scrimgerum subscriptione ostendat emissam esse post Christum anno 541, & imperii Justiniani decimo quinto. Idem de Constitutione CXLIX. dicendum est, ex cuius subscriptione rursus paret, incidere eam in a. 544.³²⁾ Adhaec eximenda sunt *Formae*, seu τυποι γενικοι Praefectorum Praetorio ex libris ἑπαρχιῶν, quae nunc titulo *Nou. CLXVI. CLXVII. & CLXVIII.* ueniunt. Earum primus HALOANDER³³⁾ mentionem fecit. Cum vero, angustia temporis impeditus, eas non edidisset, princeps id fecit c v i a c i v s³⁴⁾ usus βασιλικῶν auxilio, iisque latinam epitomen adiunxit; quod breuiarium deinceps, iusta uersione neglecta, omnes Corporis juris Editiones inuasit. Praeter istas autem leges omnes, adhuc ex pleno numero excidit *Nou. CXXII.* quippe quae ad Edicta Justiniani pertinet, ubi quoque in editis reperitur, ut adeo proprietate uniuersim non nisi Constitutiones Nouellae Justiniani CLIX. subsistint, &, si largior sis in concedendo, Glossatores ignorarint XLII. Ex harum tamen numero rursus, XXXIII. tantum integras aetatem tulerunt beneficio Haloandri & Scrimgeri, reliquae non nisi per epitomen uel ab his, uel a Juliano e naufragio servatae sunt.

Sed de numero glossatarum Nouellarum fortasse iam nimium dixi. Restat ut de ordine quo collectae sunt pauca prohibeam, qui sane in latinis antiquis longe aliis est, atque in editis Gothofredi. Gothofredus enim *Contium* in plerisque secutus est, *Contius Scrimgerum*. Ad cuius ordinem si compares glo-

C 2

fatas,

32) Vid. WIELING *Frspr. Restit.*
in *Ind. Nou.* p. 174.

34) in *Expositione Nouellar.* quae
primum a M. D. LXIX. in vulgus
prodiit.

33) in *Praef. ad Nou. fol. ult.*

satas, ita se inuicem numeris expressis excipiunt: Nou. 1 - 10.
 12. 14 - 20. 22. 23. 105. 33. 34. 39. 44. 46. 48. 47. 51 - 57. 49.
 58. 60. 61. 63. 66. 67. 71. 70. 69. 74. 72. 73. 76 - 85. 88. 89. 90.
 92. 94. 91. 95 - 97. 99. 100. 98. 93. 107 - 112. 116. 114. 113.
 115. 117 - 120. 125. 124. 131. 127. 159. 134. 86. 106. 132. 143.
 128. 123. Hujus discriminis causam, quantum scio, nemo
 hucusque dixit, nec, credo, posse aliquam, in tanta monu-
 mentorum penuria, probabilem afferri, in primis cum neuter
 ordo neque in temporis aut materiae ratione quidquam habeat,
 quo nitatur.

Propositis ita, quae in historia Nouellarum glossatarum a
 recentioribus Jurisconsultis aut minus recte tradita, aut praeter
 meritum omissa uidebantur, ad alterum caput, quod de numero
 ab Haloandro editarum Constitutionum est, delabimur. In quo nu-
 mero exponendo, mirabile dictu est, quantopere uiri etiam do-
 cissimi alucinati fuerint, quanquam errores omnes facilime
 euitare poterant, si ipsum Haloandrum curatus & diligentius
 inspexissent. Est autem communis omnium fere opinio No-
 uellas CLXV. ab Haloandro editas esse. Id, quam erroneum sit,
 primus ostendit magni olim apud Batauos nominis Jurisconsultus
 JAC. VOORDA.³⁵⁾, sed ita ostendit, ut, loco unius erroris, plu-
 res substituerit. Adscribam uerba eius, quoniam ipse liber eius
 non in omnium manibus est: Errant, inquit, longe, quicunque
 exisse ab Haloandro Nouellas CL XV. opinantur. Neque errant tantum,
 sed imprudentes etiam aperiunt, nec fugitiuis oculis percurrisse se un-
 quam Haloandrinam editionem; immo ne legisse quidem Titulorum
 indicem, quem ille utraque lingua in ipso statim uoluminis limine ex-
 hibuit. Quid igitur in errorem illos induit? Scilicet ipsimet, uel
 quos quisque auctores habet, enotarunt tantum numerorum notas, ex-
 tremo Titulo ab Haloandro, & in duplice illo indice & in ipso No-
 uella-

³⁵⁾ Electorum cap. XXVII.

uellarum corpore, adscriptas. Numeratis utrobique Nouellas CLXV.
 Sed neutrō loco in Graecis Latinisue exhibet 40. 49. 70. 70. 106. 137.
 140 & 149. Praeterea in Graeco eius indice, & in ipso quoque
 textu Graeco desunt insuper 6. 7. 10. 46. 54. 55. 57. 62. 98. 127. &
 130. quarum tamen interpretatio Latina apud eum extat. Sed hae
 omnes, si discesseris ab secunda & sexagesima, reperiuntur etiam
 apud interpretem ueterem in Authenticorum libro. Alteram autem ab
 sexagesima, uel ejus potius epitomen, a Iuliano petiit. Ergo nec haec
 editae ab eo sunt. Hoc amplius 2. s. 74. 75. 79. 83. et 84. habentur in
 Graeco eius indice; in textu Graeco non item: ut nudos harum Titulos,
 nihil autem amplius, edidisse dicendus sit. Denique Nouellam octa-
 uam, in duas distractam partes, exhibet ut duas: formula enim iu-
 risiurandi, Nouellae octauae ad calcem adjecta, ipsi pro nona est. Dem-
 his illis omnibus restabunt ex CLXV. supra centum septem et triginta,
 quas Graeco sermone Haloander uulgavit. Sed in his ipsis adhuc sex
 reperiuntur, quae non constitutiones sunt, sed constitutionum epitomae,
 nempe 111. 114. 138. 140. 150. et 165. Haec tenus ille. Et descripsi
 uerba, ut appareret, quam oporteat subtiliter in rebus istius-
 modi minutulis uersari, quamque facilis sit in iisdem lapsus me-
 moriae aut oculorum. Tot autem insunt isti orationi vitia, ut
 non iniurii in Uoordam nostrum esse uiderentur Grauina, Brunn-
 quellus, Hoffmannus aliique quos ille acido sale perficit, si, tela
 retorquenda, & ipsi palam dicerent nonnisi fugitiuis oculis per-
 currisse eum editionem Haloandrinam. Atque ne gratis quid-
 quam protulisse videar, quo auctoritas tanti hominis imminuat-
 tur, quam nimis propenso animo nuper seculos esse Viros Cel-
 zEPERNICKIVM ³⁶⁾ & GLÜCKIVM ³⁷⁾ scio, ex unaquaque il-
 larum quatuor classium, quas Uoorda constituit, aliquot tan-
 tum errorum specimina dabo. Nam quod ad primam attinet,
 immerito, tanquam capite censae, eximuntur e ciuitate Halo-

³⁶⁾ loc. supra excitato.

³⁷⁾ d. l. p. 335 sq.

andrina Nouella *quadragesima nona & septuagesima*, quae integræ, licet aliis sub numerorum notis, adsumunt, de quo facile constare potuisset JCto Batauo, si ipsa earum uerba initialia inspexisset. Desiderantur contra ab ipso non commemoratae & quidem tam in graeco textu, quam in latino, nouella *quadragesima prima, sexagesima octaua & centesima uicesima nona*. In secunda dein classe minus recte ponuntur *decima, quinquagesima septima & centesima tricesima*, quae omnes ibi Graece & latine leguntur. At, quod obseruatum non est, *nona, duodecim sexagesima & centesima sexta*, in graecis deficiunt, & extat tantum antiqua interpretatio. In tertio ordine omissa est Nou. *septuagesima sexta*, male uero ad eum relata *septuagesima quinta*, cuius ne γεν quidem inibi habetur. In quarto denique plures Constitutionum Epitomae omissæ sunt, quas adeo omnes in Haloandro integras adesse secundum Uoordam existimabis. Tales sunt *uicesima teritia, & tricesima teritia* cum *tribus insequentibus*, aliaeque. Summa autem errorum inde prouenit, quod Uoorda, indici praemissso nimis fidens, non aduertit apud Haloandrum ordinem hinc inde recedere ab eo, quem Gothofredus obseruauit. Ita enim quae apud Gothofredum est *decima*, apud Haloandrum est *undecima*, quae illi *quinquagesima*, huic numeratur *quadragesima prima, & quinquagesima septima* apud hunc est *quinquagesima octaua*.

Ut uero tandem aliquando constet, quid apud Gregorium nostrum quaeri possit & inueniri, quidue ab eo omissum sit, scito, in Graeco textu, si nempe *octauam*, quae duplicem notam præ se fert, pro una habeas, nonnisi Constitutiones exhiberi *Centum quadragesima tres*. Exulant enim penitus Nouellæ sequentes: 6. 7. 9. 11. 40. 41. 46. 54. 55. 56. 58. 62. 68. 75. 98. 106. 127. 129. 137. 140. & 149. Ex harum tamen numero quaedam, eti non suo loco, alibi, tamen, maximam partem in Haloandrino corpore.

corpore leguntur. Nam Nouellae centesimae uicesimae septimae multae laciniae attextae uisuntur Nouellae centesimae decimae octauae & sequenti, ut jam **CONTIVS** notarat, & e centesima tricesta septima pleraque inserta leguntur Nouellae centesimae uicesimae tertiae. Neque haec confusio Florentino MS. ex quo Haloandrinus codex fluxit, propria est, sed idem in latinis quoque accidit, quemadmodum animaduerti in scripto libro, quem supra laudaui, in quo maxima pars nouellae tertiae inserta est centesimae vicesimae quintae. Ex iis vero, quae apud Haloandrum superesse diximus supra centum, quadraginta tribus, aliquarum non nisi Tituli nudi exhibentur, nimirum Nou. 2. 5. 74. 76. (quae ibi insignitur nota 75.) 79. 83 & 84. quas si, ut fecit Uorda, rursus subtrahere uelis, ex omni numero supererunt tantummodo centum triginta septem. Rursus aliae non nisi per Epitomen extant, quales sunt: 22. 33. 34. 35. 36. 37. 65. 104. 111. 114. 122. 138. 143. 150. (quae unice seruata est ab Hal.) & 165. Est quidem adhuc una Epitome, Nouellae nempe sexagesimae et secundae, sed ea non nisi in latino textu uisitetur. Neutquam tamen, quemadmodum Uorda uolebat, e Juliano transcripta, est imo ab ea adeo diuersa, ut ex duabus istis unam conflauerit **CONTIVS**, & reliqui deinceps Editores. Non autem omnium Epitomarum graecarum uersio ab Haloandro facta est, sed quarendam tantum ita, ut in locum reliquarum suffecerit uersionem uulgarem, cuius instituti rationem non facile explicaueris. Contra uero si quaeris, cur, cum in Norica plurimum non nisi Constitutiones habeantur CXLIII., eaeque nequidem integrae omnes, nihilo tamen minus in praefixo Indice numerentur CLXV. non difficilis erit responsio. Id enim ideo factum est quod non fugerat Haloandrum mancum esse exemplar suum, & intercidisse temporis iniuria quasdam, ut & notauit alicubi, v. c. post Nouel-

Nouellam XLVIII. & LXIX. imo appareret nonnullas adeo seruatas ex his esse in Latinis Codicibus. Inde quoque enatum ipsi est consilium, de inferendis nonnullibi legibus ex vulgari translatione, quale quid generatim factum deprehendimus in Nou. 2. 5. 6. 7. 9. 22. 33. 34. 46. 54. 55. 56. 58. 74. 76. 79. 83. 84. 98. 106. (quae tamen ap. Hal. demum est 130.) 111. 114. 127. 143. Quando uero de *integris* graecis Constitutionibus apud Haloandrum loquimur, restriete id intelligendum est. Neque enim ignoramus, etiam in his passim, quae corrupti minusque perfecti exemplaris est culpa, uersus, quin capita adeo desicere, quae successu temporis detecta Scrimgeri pre-primis industria in lucem produxit. Aliquam tamen huius meriti partem recte sibi vindicat humanioris Jurisprudentiae instaurator felicissimus *Alciatus*, cuius liberali opera plures non contemnendae laciniae attextae sunt Haloandri Nouellis, in editione praestantissima, quae apud Heruagium Basileae anno MDXLI. prodiit. Id autem ideo monuimus, quia uel ipse *Hombergius*, et si non ignarus huius editionis, tamen non ubique satis attentus ad rem fuit. Sed de Haloandro haec satis. Quae praeterea ad historiam Nouellarum notauiimus, ea ali tempori & loco reseruamus. Jam enim, cuius rei causa haec quomodocunque scripta sunt edicendum uidetur. Nimirum instat proxime natalis dies Regis Augustissimi CHRI. STIANI VII. artium Fautoris, pacis Conseruatoris, libertatis iustae sentiendi, dicendi, scribendi hucusque &, quod cum Principis ingenium, tum ipsa rei utilitas summa, tempestatisque qua uiuimus singularis conditio fortiter sperare jubet, in posterum quoque Statoris, Academiae suae Nutritoris. Cujus diei anniversariam laetitiam, cum in more positum sit, publica oratione celebrare: ut solemnum conuentum d. XXIX Januarii hora ante meridiem XI. in Auditorio majori habendum, praesentia sua ornare uelint, quicunque Musis fauent doctaeque festiuitati, qua par est obseruantia & humanitate, orat, precatur Prorector & Senatus Academicus. P. P. Kiliae, sub sigillo Academiae, Dominica III. post festum Epiphaniae. A. R. S. cclccxciii.

(L. S.)

Kiel, Diss.; 1771-1800




f

Sb.

Farbkarte #13

B.I.G.



RECVRRENTEM

DIE. XXIX. IAN. CICICCCXCIV.

1794 21

373

AVGVSTISSIMI. REGIS CHRISTIANI. VII

NATALEM

SOLEMNI. ORATIONE. CELEBRANDVM

INDICVNT

PRORECTOR. ET. SENATVS

ACADEMIAE. KILONIENSIS

INTERPRETE

A. G. CRAMER

ANTECESSORE

Inserit: ad Historiam Nouellarum Justiniani Imp. Analecta literaria.

KILONII

LITERIS. MICH. FRYDER. BARTSCHII. ACAD. TYPOGR.

*Dr. Hoffm. J. G. Dantow Januarij
ad Galli.*